

August Buchner


**Quid Carolus I. Britanniarum Rex, Loqui Potuerit Lata In Se Ferali Sententia :  
Oratio, Seu Declamatio Gemina**

1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787919551>

Druck Freier  Zugang









*F. II. 10/5<sup>v. 18.</sup>*












6  
QUID  
CAROLVS I.  
BRITANNIARUM  
REX,


LOQVI POTVERIT LATA  
IN SE FERALI SEN-  
TENTIA.

ORATIO,  
SEU  
DECLAMATIO  
GEMINA.



SENECA HIPPOLYTO:

Quantí casus humana rotant !  
Minus in parvis fortuna furit,  
Leviusq; ferit leviora DEVS.



ANNO M. DC. XLIX.



QUID  
CAROLVS I  
BRITANNIARVM  
R. F. X.

BOOVI TOTTERITATA  
IN SE FERALI SEN  
TENTIA

ORATIO  
SEU

DECLAMATIO  
GEMINA

EXCERPTA AB ALEXANDRO

SENECA HIPOLITO:

Quintus Senebratorum  
Pius in praesentibus  
Levius; fuit levior DEVS.



ANNO M. DC. XLIX.



Nobilissimo, Amplissimoque  
VIRO

D. CHRISTIANO REICHBROTIO,

Sereniss. Electori Saxoniae ab interioribus  
Secretis.

D. B. A.  
S.



Hoc quoque exertitationis genus apud Rhetoras veteres Romanos, juxta ac Gracos, fuit, orationem tribuere personis, & fingere dixisse viros principes, quae potuerant dicere, aut magno casu oppressi, aut in deliberatione ancipiti. Similis meditationis impetus me cepit nuper, cum infelicissimum magnae Britanniae Regis fatum increbesceret. Movebat magnitudo rei: & si dicendum, quod res est, non medioeriter irascebar inusitatae facinoris immanitati. Abrepto itaque justissimam indignatione animo cum frena campumque, quo erumpebat, permitterem, nata mihi unius lucubratiunculae penso haec sive oratio, sive declamatio gemina est. Quae de musei secreto ejusdem spe veniae nunc proripit se, qua ludicra olim admittimus, aut ambulamus ipsi in publico, cum nihil serij agimus, nec quisquam tamen nos reprehendit. Sed maximum in hoc genere est, decorum custodire personae. Caeterum propria quidem animi regij dos, magnitudo atque sublimitas: eloquentiae autem, splendida brevitatis est. Illa secura sui & libera se levat altissimè, nec quicquam, nisi par dignumque fastigio suo concipit: haec parca verbis, faecunda sensuum, nervisque efficax, non pigro laxoque ambitu circumscribere animos, sed in contortiturbinis modum percellere amat, & sic tenere. Ab habitu isto & hac idea quam longe absit styli nostri conatus, tu judicabis REICHBROTI Amplissime, qui secretorum principalium particeps regij spiritus indolem ignorare haud potest; & felix ingenij judicijque omnem istius Musae Genium abunde calles. Nec alia causa pagellis istis clarissimum tuum praescripsi nomen, qui propensissimo affectu dudum elegantias literasque, hoc est, Gratias omnes ac Musas complecti soles.

Vale

ORA.



ORATIO I.  
EX REGIS BRITANNIARUM  
PERSONA.

**R**upit igitur tandem, quod diu parturivit  
Britannia, & ignorarunt secula hactenus,  
ut posterii omnes execrarentur. Quam  
mea me patriæ poenitet, si, nisi scelestam,  
& impiam, & detestabilem habere non  
possum! Et quid appello patriam, si me produxit ut  
tolleret? Non paucos Regum ferro sublato legimus;  
sed conjuratione ac fraude. Etiam per carnificem; sed  
hostes, & alienos, & in secreto carceris, ne publicè fu-  
sus Regum sanguis vulgari aspectu profanaretur. Ego  
à populo meo ad tribunal rapior Rex: ô audax facinus!  
Ego à populo meo condemnor capitis: ô scelus ulti-  
mum! Bene tamen, quod innocens. Quanquam ne  
noxium quidem damnandi subjectis jus ullum est. Non-  
dum recensui totum nefas: trahor in pegma ferale à mi-  
lite meo: trador carnifici Rex securi publicè percutien-  
dus. Quæ unquam barbaries tale quid ausa? Puta-  
bo tamen vos bene agere mecum, dum candidè agitis,  
& ponitis larvam, quæ sub conditionum ac pacis perso-  
nâ crudelitatis vestræ mimum hactenus lussit. An di-  
spudet scenæ, in quâ adhuc egistis partes? An impo-  
tentia vestri furoris tegi amplius haud potest? Nam  
cum immanitate misericordia non jungitur. Et pro-  
nunciatis sententiam, non ut diutius ne peream; sed ne  
diutius cupiditas vestra vota sua excludat. Errant,  
qui



qui nunc perire me demum credunt. Quamdiu probitati nostrae vestra illudit nequitia, tamdiu & perij. Hactenus occidistis meam spem; nunc vitam perimitis. Et quae illata hucusque mors fuit, nunc perpetratur. Finem moriendi hic ictus afferet, quem vos putatis initium. Sic vita incipiet. Nam metus & spes, non vita interpretanda; supplicium est. Et iis liberor, jam vere meus. Quid poenam putatis, quod sub carnifice morior? Beneficium est. Haud aliter mori oportet, qui pro suorum salute moritur. Atqui hoc optimi Regis est. Tyrannus enim populum suum ipse occidit. Si immitteretur percussor clanculum, uni, vel paucis viderer mori. In omnium moriendum est oculis, qui omnibus moritur. Nec pulchrius testimonium innocentia habet, quam omnium quod conscientiam redditur. Quid ora dejicitis taciti? Hic vultus confusos & reos decet. Et id me laetum ac alacrem cernitis. Sed quid juvabit tacere, si caetera clamant: nec idem silentium sequitur rem, quo obmutescunt auctores? Vocalis admodum Regum est sanguis. Nusquam non ejus audiuntur voces; sed Reges advertunt imprimis; qui & intelligunt maxime. Et dum advertunt, movent ac flammant. Interest Regum, ne quis impune Rex peccet. Quos scelus deterruit; successus invitat. In fomite extinguendum incendium est. Ac nisi mature confutes flammam, spargetur latius, & plena mox sui omnia pascet. Non sistunt exempla, ubi coeperint: & quamvis angustum nacta tramitem, in partes omnes divagantur. Mei securus sum: orbis casu haec loquor. Qui stare non potest, majestate Regum calcata: Quid sunt in orbe Principes? Columnae, & fulcra, quibus innititur publicum. Et his revulsis, aedificium ruat.



Satis dixisti CAROLE. Nec caufari damnatus, nec moriturus irasci debes. Functus officio es. Pulcherrimus animus te comitatur. Melius est, damnatum & innocentem mori; quam reum sceleris trahere spiritum, sed in perpetuam poenam. Nam iuge supplicium est, sua cuiq; conscientia mala. Habetis voces novissimas: expedi nunc securim carnifex: hoc ultimum jubeo. Sed & obdura animum: in Regis iugulo salutem incidis Britannia.

## A L I A.

**A**Bunde suppetunt innocentia verba; sed frustra audiri postulem, ubi libido ac vis omnia sunt. Jam supplicare nemini Reges, nisi DEO, solent. Nam soli DEO & peccant Reges. Nec Rex ac innocens moriar, nisi salva maiestate moriar. Hæc præstat Regem. Et incorruptum nisi reddam DEO, quod credidit, malæ fidei ero. Loquor tamen, ut ita me quoq; Regem ostendam: neque silentio probare videar concilii vestri impietatem. Mancipiorum est ad heri imperia nec vocem mittere. Nemo Regem liberior est. Qui nisi castigat suorum vesaniam, eidem servit; quo nihil est foedius. Quicquid Rex sum, à DEO sum. Qui per Parentes vitam homini, & Regis Filio sceptrum dedit. Quis furor, aliena appetere? aut velle rapere, quæ vestra non sunt? Attrectatio, furtum, rapina, privatorum damnorum vocabula sunt; cum Regum maiestatis vitæq; tentatur saltim, sacrilegium est, impietas est: quid erit cum tollitur? Sacrosancti Reges sunt: itaq; violari non debent. Plus dicam. Reges Dii sunt; perpetuo igitur venerandi. O maiestatis itaq; & divinitatis ex æquo reos! Non me fecistis Regem; natus sum. Nec diadema ac fasces comitorum electio; successio dedit. Et hanc sancivit, qui Patri Regi me superesse legitimum voluit regni heredem. Quod iura nova fingere libet? Jus vetustissimum  
DEI




DEI moveri haud potest. Nec quas factavit religiones cœlestis  
Numen, commenta calliditatis humanæ unquam resolvēt. Pul-  
cherrimè mihi factorum meorum ratio constat. Si quid admisi  
culpæ tamen, habeo cui respondeam. Qui vel donabit oran-  
tem veniam, quia mitissimus; vel satisfaciētem, idem æquissimus,  
absolvēt. Tribunal aliud ignoro Rex, & leges nesciunt. Quæ  
ipsæ tam infra Reges sunt, quàm supra Deum non sunt, qui cum con-  
nexa arctissime Regum est sanctitas. Videtis justitiam fori vestri in  
me: & tamen gaudio mori, si sanguine meo regni securitas emi po-  
test. Boni Principis est, salutem civium anteponere suâ. Et pes-  
simus viverem, si major me capitis, quàm boni communis haberet cu-  
ra. Sed aliud agunt, qui mihi vitam eripiunt. Quorum sceleratissi-  
mæ artes, ut falliant & lateant, pulchra ac speciosa nomina præ-  
texunt. Luporum consilium est, gregi custodem abstrahere.  
Et qui sublatum me cupiunt, ovium mearum simplicitati insidiantur.  
Vultis audire effatum ultimum servantis novissimè in au-  
gurali hoc meo? Ingentes strages cladesq; ominor: stabitq; toti-  
us exitio gregis, si lupi meitenebunt, quod perunt. Non con-  
velluntur magnarum molium fundamenta sine metu ruinæ. Nec  
faciles transitus habent, quæ universam Rempublicam trahunt.  
Ictus unius impetus mihi exigat animam. Tantum intererit, ut  
spiret loquaturq; CAROLUS, & amplius non sit. Uti-  
nam tam brevi tempestas transeat, cujus nunc cœunt nubes, in diras  
procellas & fulmina, nî Sol amicior dissipet, mox erupturæ. In  
anni conversione cœlum maximè tonat. Verso Reipublicæ sta-  
tu, quæ lata atq; tranquilla erunt speranda? Non spongiarum  
negotium est, extergere Regium sanguinem: provinciarum exci-  
diis piatur. Ac licet non fluat ac rube ad amplius; sedent altis-  
simè maculæ tamen; nec ævi ullius industria delet. Quàm ad-  
huc benè cupio patriæ? Et ideo loquor. Nam me quod atti-  
net, fera damnati defensio est. Deinde, cum spe vivendi mortis  
ipsius timorem dudum abjeci. Hoc quoq; regium habeo. Nec  
Christianus curo magnoperè, quo tandem itinere de vitâ exeam.  
Soluti corporis vinculis cœlum undiq; patet. Nec in via fidei ad  
Deum




Deum ulla est via. Magnum tamen habebō solatium, si in cedentis locum liberi venerint: & meam hæreditatem non alieni rapiant; sed meus adeat ac cernat hæres. Non potest hoc cœlum nisi ab uno Sole regi. Et tanti nominis majestatem capiet nemo, nisi legitima Solis progenies. Si invadet hoc jus stellarum vulgus, non nox & tenebræ; sed fœdum chaos ingruet, cæcæq; caligine iuolvet omnia, & pugnatura sibi invicem in exitium mutuū turpissimè confundet. Hæc una sollicitudo me afficit. Quâ moriturum si liberabitis, nondum penitus clamata Britannia est.


























ttlich und nachdenck  
licher Beweis

chte Vatter und Mutter des so genannten  
ing Wallis sey /

Durch

ene lesens-würdige Brieffe / ge-  
Frankreich von der gewesenen Königin/dem  
Tyrkonnell, Statthalter in Irland / der Her-  
vis, als Gubernantin von erwehntem Prinzen/  
Carrol, Secretaire der Königin / und dem  
er Louis Sabran, Capellan und Gu-  
bernator des Prinzens.

Wobey

eliche Information unterschiedlicher Pers  
grossem Ansehen / durch welche der Bes  
trug und ganzer Handel klarlich ent-  
deckt wird.

aßt / und auß denen Originalien / welche auff  
D an den jetzt Regierenden König überliefert wor-  
/ in Englisch- und Holländischer Sprach  
heraus gegeben

Durch

HELM FULLER,  
Anno Christi 1700.  
in aber ins Hochteutsche übersetzt.